

Statuty Uniwersytetu Krakowskiego z 1604 r. (tzw. Dobrocieskiego)

Edycja: *Statuta Uniwersytetu Krakowskiego*, red. J. Szujski, „Archiwum do Dziejów Literatury i Oświaty w Polsce”, t. 2, Kraków 1882, s. 367–400.

Reformatio Universitatis Generalis Studii Cracoviensis Statutorum in Rectoratu Rndi. Domini Nicolai Dobrocieski I. U. D. Ecclesiarum Cathed. Cracovien. et Sandomirien. Canonici, per eundem Dominum Rectorem et Deputatos ab Universitate facta, stabilita, et per totam Universitatem nullo contradicente approbata in Anno 1604 Martii 23. [s. 368]

Uwaga wydawcy: Ilekroć w tekście Dobrocieskiego powołano Statuta, Conclusiones lub inne źródła, na których się oparł, należy objaśnień lub tekstów odpowiednich szukać w przypisach na końcu niniejszego wydania. [s. 369]

De personis et rebus ad Universitatem pertinentibus.

Pars Prima.

De electione Rectoris.

Quia in electione Rectoris Universitatis nostrae prima libertas, comuneque omnium bonum vettitur, et tunc Statuta in publica omnium audientia legi consueverant, quae neminem de corpore Universitatis existentem ignorare convenit, antiquam conclusionem in executionem deducentes ordinamus, ut omnes omnium facultatum Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalaurei et Studiosi pro decore et honore Universitatis et actus huiusmodi in habitu quisque statui suo convenienti pro die et hora electionis conveniant, et ibidem perseverent, donec Rector eligatur sub debito obedientiae, et trium marcarum poena.

Quam poenam Dominus Rector electus in eos, quos Decani Facultatum et bedelli Universitatis abfuisse notaverint, extendere teneatur, nec eam cuiquam condonare valeat, sed in fiscum Universitatis integre inferatur.

Modus eligendi Rectorem servetur omnino secundum vetus Statutum et corruptela, quae abusu inoleverat in modo eligendi Recto[s. 370]rem per certos quosdam et natos electores penitus tollatur, nec sint aliqui vel in primis, vel in secundis vel in tertiis certi electores, sed eligantur libere secundum Statutum ex omnibus omnium facultatum et veteribus Magistris. Clamores et tumultus nemo excitare audeat in hoc electionis actu, sub poena exclusionis a convocationibus Universitatis, per annum, si fuerit Magister vel Licenciatus, si Baccalaureus vel Studiosus, sub poena exclusionis ab introitu Scholarum per annum. Rectore mortuo, senior Pater statim post mortem ejus convocationem facere tenetur Doctorum et Magistrorum Collegiatorum, qui de alio Rectore auctoritatem habebunt providendi secundum antiquam consuetudinem, argumento eorum quae habentur in Statuto: de residentia Rectoris, et in formulari antiquo, folio 5 circa finem.

[na s. 371–375 tylko tekst statutów w redakcji Waleszyńskiego, dalsza część statutów w redakcji Dobrocieskiego następuje na s. 376]

De Iudiciis Rectoris.

Quod a prima fundatione et concessione tam Sedis Apostolicae quam Regum totiusque Reipublicae Universitas nostra obtinuit, inviolabiter observari volumus. Ut Rector habeat iurisdictionem ordinariam super omnes, qui in Civitate Cracoviensi et Suburbiis ejus studii causa moram traxerunt in omnibus causis civilibus et criminalibus levioribus, nec ullus unquam in eisdem causis Doctorem, Magistrum, Scholarem, Bedellum, Stationarium alibi coram iudice quocunque ecclesiastico vel saeculari audeat convenire sub poena decem marcarum grossorum Pragensium. A sententia autem Rec/s. 377/toris nullus appellare audeat, aut restitutionem in integrum petere, nisi ad Consiliarios Universitatis. Quod ne passim temere fiat, volumus, ut per appellantem vadium appellationis duorum florenorum prius apud Rectorem deponatur. Quod si fuerit causa magni momenti, a Consiliariis poterit dari appellatio ad Universitatem, vadio appellationis quatuor florenorum prius apud Rectorem deposito. Si autem causa fuerit inter Professores beneficiatos, ad Episcopum Crac. pro tempore existentem recurri debet juxta privilegium Vladislai Regis, per Sedem Apostolicam confirmatum. Quidquid autem Episcopus cum Rectore et Decanis facultatum, vel majori parte decreverit, istud sine omni contradictione servare debebit sub poena excommunicationis et exclusionis, juxta Privilegium Alberti Episcopi et Cancellarii Universitatis et Sedis Apostolicae delegati: et hoc ne Professores per lites et jurgia a suis Lectionibus arcentur, et finis litibus expeditus imponatur. In Conclusion: fol. 53.

De pecunia Universitatis et Privilegiis.

Quae recte Statuta sunt de pecunia Universitatis et privilegiis ejus, ea ad executionem deducere ordinamus. Primo: ut sit locus separatus in thesauro Collegii Majoris, ubi pecunia Universitatis, privilegia, resque ceterae asserventur, Secundo: ut inventarium au/s. 378/thenticum, eorum omnium, quae asservabuntur in thesauro, conficiatur manu Rectoris et Decanorum omnium facultatum subscriptum. In quod inventarium etiam in posterum inscribentur omnia et singula, quae ibi inferentur. Tertio: ut custodes duo, unus e Theologis, alter e Jureconsultis in triennium eligantur, eadem die qua fit Procuratoris Universitatis electio. Quarto: ut librum compactum habeant, in quo unusquisque nomen suum inscribat, si quando aliquid pro usu suo ex thesauro Universitatis de consensu Rectoris accipiet.

Quinto: ut secundum inventarium omnia reddere sint obligati custodibus, qui in locum illorum postea eligentur. Postremo: ne Rector ultra decem marcas de pecunia Universitatis propria autoritate exponere praesumat. Quoniam Procurator Universitatis et alii Professores frequenter opus habent privilegiis ad informationem de officiis et beneficiis suis, ne semper authentica opus sit accipere, conficientur Libri, in quibus describantur omnia privilegia et munimenta, quaecunque reperiri possunt. Unus pro Collegio Majori et omnibus ad illud pertinentibus, alter pro Collegio Jureconsultorum: tertius pro Collegio Minori, quartus pro Collegio Medicorum, quintus pro Bursis omnibus Studiosorum. [s. 379]

Statuimus etiam, ut (?) Procurator Universitatis arendas seu locationes domorum et decimarum absque Rectoris et omnium facultatum decanorum consensu faciat, qui omnes in locatione ejusmodi domorum aut decimarum attendere debent, quo Universitatis meliorem facere posset conditionem, in Conclu. fol. 5.

Diligentiam in Professoribus excitare praemio et poena cupientes dismembrationibus jam ante constitutis, et Praepositurae S. Floriani et Korczyn ex Bursa Hungarorum commodiora tempora assignentur. Nimirum uni statim post Pascha, alteri statim post festum S. Michaelis in fine Commutationum, ubi Rector informatione a Decanis accepta de singulorum Professorum negligentia habebit in manu, quo puniet cujusque negligentiam ad quod ex vi juramenti circa confirmationem suam praestiti ex praescripto Statutorum Universitatis tenetur.

De Beneficiis Universitatis.

Quia grave scandalum reputatur, si homines, qui alios docent, beneficia Ecclesiastica male administrant, atque officia ad quae ratione ipsorum obligantur negligunt, statuimus, ut singulis annis [s. 380] initio commutationis aestivae diebus non legibilibus Praepositus cum Consiliariis visitet beneficia, quisque domus suae hic Cracoviae et in suburbiis consistentia ac diligenter scrutetur, an sit ex integro supellex ecclesiastica, cujus inventaria ordinate descripta in unaquaque domo esse debent; et an officia divina secundum fundatorum voluntatem peragantur. De qua visitatione ipsi Praepositi Collegiorum Domino Rectori teneant reddere rationem, ad maximum in tribus septimanis, sub poena duorum florenorum. Qui quidem secundum praestitum iuramentum partes omnes Universitatis considerare et omnes defectus corrigere est obligatus.

Pro Parochialibus etiam extra Civitatem consistentibus, singulis annis tempore vacantiarum Dominus Rector deputare tenebitur Visitatorem unum ex Professoribus, quem ad hoc magis idoneum putaverit, qui una cum Procuratore Universitatis ad Luborzyensem, Prosovicensem sumptu possessorum earundem descendat, et de omnibus defectibus Domino Rectori fidelem relationem faciat circa finem vacantiarum, sub poena simili duorum florenorum tam per Procuratorem, quam per Visitatorem deputatum incurrenda. Domos etiam Universitatis Procura[s. 381]tor singulis annis cum uno a Rectore deputando revideat.

De electione Decanorum.

Quamvis antiquo Statuto cautum erat, ut Decani in singulas commutationes eligentur vel reeligentur, tamen quia propter causas et rationabiles postea conclusum est et in hunc usque diem observatum, ut in facultate Theologica, Jurisconsultorum, Medica Decanatus esset annuus, et in omnibus facultatibus ne iterato cuique sed ex ordine singulis deferatur, singularum facultatum posterioribus constitutionibus de electione Decanorum standum esse decernimus. Hoc insuper adiicientes, ut Decani omnium facultatum singulis septimanis negligentias Professorum manu sua scriptas vel subscriptas, per Bedellum ad Dominum Rectorem transmittere teneantur. [s. 382]

De electione Collegiatorum.

Statutum de electione Collegiatorum veluti apprime salutare ad usum omni ex

parte revocandum censemus. Et ne in electionibus errores admittantur, semper ad convocationem Dominorum Doctorum et Magistrorum, ad quos pertinet electio, afferatur privilegium Officii vel Beneficii, quod conferendum est, ut ex eo appareat, quae conditiones requirantur ad illud officium, et quis ex candidatis sit aptior ad eas obeundas in Concl. fol. 26.

Absens vero non laborans, ac in Universitate non residens ad Officia et Beneficia nullo modo vocandi, juxta Conclus. fol. 48.

Quamvis qui prior est tempore potior est et jure, eos tamen solos senium defendit, quibus ceterae virtutes ad assequendum illum gradum suffragantur, juxta Privilegium Vladislai Regis et Joannis XXIII Papae in Privilegiorum Volumine fol. 25, 29. Et Alberti Epi. Crac. ibidem. Et qui laborando et honeste vivendo magis se habiles et idoneos fecerint, aliis prius vocandi sunt juxta Privilegium Universitatis fol. 54.

Illud vero observandum est, ne sine magna et evidenti causa, minus laborans magis laboranti praeferatur, quod cavetur statuto de plus laborantibus fol. 8. [s. 383]

Quia qui in aliqua professione excellens est, non modo magnum toti Universitati affert decorem, sed etiam in auditoribus majorem profectum facit, volentes quam excellentissimos in Universitate habere Professores, statuimus, ne de una professione ad aliam facilis concedatur transitus, contra privilegium Joannis Epi. Crac.

Quemadmodum igitur de Astrologo ordinatum est in privilegio fol. 49 ut per quindecim annos in eadem Professione propter majorem experientiam acquirendam perseveret, ita in aliis professionibus fieri expedit, ut qui ad poesim vel oratoriam facultatem, aut ad Philosophiam aptus fuerit judicatus ingenio, in eadem per quinque ad minimum annos versetur. Hoc tamen nullum debet impedimentum afferre, quominus ad optionem beneficiorum, quae illum ratione ordinis concerneret, admittatur, quia nullum fiet praejudicium voluntati fundatoris, cum ea lectio ab altero legetur, quam legere hic debebat. [s. 384]

Quia Ordinarius Decano et Custodi S. Floriani duodecim Minorum Collegiatorum institutionem concredidit, quae illi ipsi de Jure competeat, vetans sub onere conscientiae et excommunicationis poena, ut invalidos et ad lectiones minus idoneos instituant: omnino necessarium esse judicantes: ut qui ad aliquam Lecturam e minori Collegio eligitur, teneatur institutionem statim sequenti die a Decano vel Custode S. Floriani respective petere, et iuramentum circa Institutionem praestari solitum de obedientia Ordinario exhibenda, Inventario rerum beneficii sui conficiendo, Bonis Ecclesiae non alienandis et alienatis, pro posse recuperandis praestare, et Literas Institutionis formatas sub manu et sigillo instituentis, quae gratis dari debent, accipere, nec patiantur in gravamen conscientiae suae, dicti Decanus et Custos aliquem absque institutione canonica lecturas tenere.

Indignum videtur ea, quae virtuti, industriae et eruditioni debentur, per sordes aut alias vias obliquas et illicitas quaerere. Proinde statuimus, ut si quis per corruptiones aliquem gradum aut vocationem acquirere in Universitate nostra tentaverit, et ipse illo ascensu privatus censeatur, et alium expectare cogatur.

Cum nimis absurdum sit inter homines studiis deditos, vanas et superfluas expensas fieri, quarum expensarum cupiditate crescente, alii vacui remanent et gravati, prohibemus ne in iucundo suo ingressu aliqui ad Collegia vocati, prandia

solemnia aut coenas apponant, sed sufficiat dare prandium pro Communitate ordinarie, uno atque altero ferculo lautius, et singulis Collegiatis illius Collegii, ad quod ingreditur, unam vini quartam apponere. Vide Conc. Trid. Sess. 24 c. 14. *[na s. 385–386 tylko tekst statutów w redakcji Waleszyńskiego, dalszy część statutów w redakcji Dobrocieskiego następuje na s. 387]*

De vita et honestate collegiatorum.

Severitas iudiciorum et disciplinae tam apud D. Rectorem quam in facultatibus et collegiis restituatur, et hoc omnibus residentibus sit propositum, ut vitia extirpentur, et scandala procul sint ab iis, qui aliis vivendi norma esse debent. Si quis igitur fuerit contentiosus, rixosus, contumeliosus, aut percussor, puniatur juxta conclusionem Universitatis in Rectoratu Martini Crokier factam si vero fuerit potationi deditus, lusor aut concubinarius, vel aliquod aliud scandalum admiserit, et de hoc convictus fuerit, pro una vice puniatur detractioe tertiae partis distributionis vel salarii sui annui, pro secunda vice media parte, pro tertia tota dismembratione e salario, pro quarta, ascensu privetur, et data incorrigibilitate, de Collegio ac etiam de Universitate excludatur.

Ut per decentiam habitus extrinseci morum honestas intrinseca ostendatur, ordinamus, ut Professores vestes proprio congruentes ordini semper deferant, potissimum vero in actibus publicis Universitatis Bireta, insignia Rectoratus et Magisterii sui, togas, epitopia et caputia, cum ad hoc non solum statutis Universitatis fol. 14. 40. sed etiam legibus ecclesiasticis ex praescripto Concilii Trid. Sess. 14. c. b. et Consistit. Synodali fol. 8 teneantur, neque coloribus prohibitis rubeis, viridibus, vel aliquo vario utantur. Si quis habitum decentem non detulerit pro prima vice puniatur poena 8 grossorum, pro secunda 16. grossorum, pro 3tia 24 grossorum, pro quinta dismembratione privetur.

De anniversariis et aliis mandatis Rectoris.

Quia aequum, ut sempiternam colere memoriam fundatorum et aliorum benefactorum, recte a majoribus institutum est, ut singulis Quatuor temporibus Missa per totam Universitatem celebretur, in qua commemoratio brevi facta tam vivorum, quam mortuorum benefactorum Universitatis nostrae per unum ex Theologis fierit. Quae dipticha revidenda sunt, et postea *[s. 388]* propter eos, qui de novo in ea referuntur revidenda sunt. Celebramus et alia anniversaria ordinaria certis anni temporibus, pro Rege Vladislao Jagellone Fundatore Universitatis ultima Maii, pro Hedvige Regina consorte Vladislai, Fundatrice Universitatis Julii. Pro Casimiro 3tio Vladislai Jagellonis Filio et posteris ejus feria 3 Pentecostes. Pro Joanne Alberto, Casimiri filio 27 Junii, pro Stephano Rege die Ascensionis Dni, pro Anna Jagelonia Regina consorte ejusdem Stephani Regi die Nativitatis S. Mariae. Pro Dno Luca Noskowski feria 5 ante Dominicam Palmarum. Sed quia Universitas non propter anniversaria obtinenda, sed propter lectiones fundata est, omnino cavendum esse arbitramur, ne facile ejusmodi anniversaria multiplicentur. De aliis mandatis Rectoris servetur, quod conclusum est in Rectoratu D. Mathiae de Miechow fol. 36 nimirum: De caetero, ut fiat mandatum ad sepeliendum et exequias peragendas, nisi actu studia exercentibus praecipue D. veteribus Magistris et emeritis, qui laboribus suis

Universitatem ampliarunt, similiter fiat mandatum illis, qui pro Universitate aliqua condigna fundaverunt, ut Regibus Poloniae et magnificis duntaxat benefactoribus, qui Universitatem prebendis adauxerunt et suis dotationibus ornaverunt. Externis autem, seu non intitulatis et intitulatis studia deserentibus, etsi importuna fierit instantia et requisitio, nullo modo admittatur mandatum, [s. 389] nisi ad minus ponantur Universitati prius realiter et in effectum quinque sexagenae in pecunia parata.

Obviam vero ad excipiendum non exeat Universitatis, nisi Serenissimo Regi Poloniae semel, ad maximum bis in anno, praecipue dum Sua Majestatis diu abfuerit Cracoviae. Legatos et Nuntios Apostolicos in Civitatem primo ingreditentes semel tantum excipiat, Reverendissimo Dno. Epo. Crac. Cancellario Universitatis post electionem et consecrationem duntaxat semel tota Universitatis occurrat. Aliis vicibus cum advenerit Rector cum aliquot Doctoribus et non tota Universitate in Curia Suae Reverendissimae Paternitatis excipiet et invitabit. Ad ceteros Pontifices non currat Universitatis invitatum, nisi esset aliquis Pontificum singularis fautor, et actu benefactor Universitatis. [s. 390]

De Notario Universitatis.

Placuit Universitati propter acta et conclusiones Universitatis scribendas literas et alia Universitatis negotia expedienda, unum semper deligi ex Professoribus Novorum Jurium aptiorem, qui laboribus ordinariis non sint impediti, Notarium Publicum Universitatis, qui jurabit Rectori, quod ipsi obediet, et ad quamlibet ejus vocationem aderit, Universitatis honorem et statum procurabit, secreta sibi per Rectorem et Universitatem injuncta celabit, et in pertinentibus ad officium suum, statuta Universitatis servabit. Ejus officium erit tribus diebus in septimana ordinarie ad Rectorem venire, pro iis horis, quas Rector ad iudicia sibi exercenda elegerit. Acta [s. 391] coram Rectore fideliter inscribere, in convocationibus Universitatis quae Rector legenda praeceperit legere et Conclusiones Universitatis fideliter adnotare, omnes literas, quas Universitatis ex aliqua causa ad aliquos dirigit vel accipit, registrare. Literas, formulas Metriculae et Promotionum quarumvis ad externos subscribere, atque etiam causas Universitatis in Jure spirituali incidentes promovere. Habebit Notarius singulis quatuor anni temporibus pro salario suo duos florenos ex fisco Universitatis, et pro singulis literis promotionum florenum unum, pro Metricula grossos 10, pro actis coram Rectore in una pagina descriptis duos grossos, pro instrumentis contractuum coram Rectore factorum, octo grossos.

De Bedellis Universitatis.

Bedelli viri bonae conditionis et famae, et aliquantum literati per Universitatem elegantur duo, et non possunt sine notabili causa amoveri, qui jurabunt quod obedient Domino Rectori et ad illius vocationem venient, et statuta Universitatis ad eos pertinentia servabunt. Unus singulis diebus ad Rectorem veniet, alter lectores omnium facultatum obibit, observando et notando, qui legunt vel non legunt lectiones suas et cum Decanis facultatum die sabbati conferre negligentias et negligentiarum per Decanos facultatum signatarum notulam singulis septimanis Dno Rectori affere erit obli[s. 392]gatus. Lectoria munda tenebunt, fenestras lectoriorum eximent et imponent pro diversitate temporum. Rectorem in omnibus diebus festis et dominicis ad ecclesiam euntem sequentur: in omnibus actibus publicis

Universitatis aderunt, et in facultatum convocationibus Decanis operam suam navabunt. Pro salario suo ex fisco Universitatis singuli habebunt in singula quatuor tempora binos florenos; a singulis Professoribus salariatis binos grossos in singula quatuor tempora. A singulis Magistris et Baccalaureis non salariatis grossos singulos. A singulis studiosis medietatem similiter in singula quatuor tempora. Ab iis, qui promotiones et gradus in Universitate accipiunt, habebunt secundum antiquam consuetudinem. *[na s. 393-395 tylko tekst statutów w redakcji Waleszyńskiego, dalszy część statutów w redakcji Dobrocieskiego następuje na s. 396]*

De facultate artistarum.

(Muczkowski: Statuta philos. ord. CXLV—CLXI. Stat. fac. philosoph).

De facultate theologica.

Pars Tertia.

De Lectoribus in Facultate Theologica Ordinariis conclusum est ex unanimi D D. Sae. Theologiae Doctorum totiusque Universitatis consensu, ut in posterum decem ordinarii Lectores in Theologia habeantur, nimirum Promotus ad Canonicatum Ecclesiae Cathedralis Crac. Promoti ad Sanctum Florianum octo et Ordinarius. Ad quae Beneficia illi soli admittendi erunt, qui post Magisterium in Artibus quinque annis audiunt lectiones in Theologia juxta Statutum fol. 20. Ad gradus in Theologia pertinentes, videlicet tribus ante primam Lauream in Theologia, et duobus ante Licenciaturam, seque idoneos ad gradum consequendum et Facultatem hanc profitendam reddiderint. Quod Doctores Sacrae Theologiae Facultatem suam actu regentes diligenter attendere debebunt. *[s. 397]*

De lectionibus in theologia ordinariis.

Qui ad divinorum eloquiorum arcana pervenire volunt, eos in Scholastica Theologia primo instructos et bene fundatos esse oportet. Quapropter ordinamus, ut Baccalaurei Sae. Theologiae legant ex prima secundae, vel secunda secundae Divi Thomae Articulos per capitula computando. ¹⁾

Sententarii vero legant ex prima, vel tertia Divi Thomae materias, quae ex Magistro Sententiarum explicandae essent; Doctores vero Theologiae in expositione Sacrae Scripturae versentur.

In quibus Lectionibus, ut ordo certus servetur, Decanus Facultatis Theologicae teneatur convocare omnes Facultatis suae Doctores, Sententarios et Baccalaureos, pro accipiendis Lectionibus pridie S. Gregorii pro commutatione aestiva, et pridie S. Aegidii pro commutatione hyemali, atque in ea convocatione Statuta Facultatis legat. Professoresque adhortetur ad fideliter laborandum, lectionesque accurate legendas, disputationes faciendas, et alia quae ad gradum consequendum sunt necessaria, servanda.

Illud tamen praecipue in Sententariis et Baccalaureis observetur, ad quod circa graduum istorum susceptionem juramento se obstringunt, ut nullum officium

¹ Prima secundae vel secunda secundae, tertia itd. Piotr Lombardus, zmarły 1164, z Nowary rodem zostawił wielkie kompendyum teologii pod tytułem *Libri sententiarum*. S. Tomasz Aquino, jak wielu innych pisarzy teologicznych średniowiecznych, zostawili obszerne komentarze do tych sentencji, które się dzielą super primam sententiarum, secundam, primam secundae, secundam secundae i t. p. Od Sentencji Piotra Lombarda pochodzi nazwisko profesora wykładającego Sententarius.

habeant, per quod a Lectionibus suis distrahantur, vel impediuntur; qualia officia intelligimus arendas bonorum etiam Universitatis, Collegii, vel Capituli.

De horis lectionum theologicarum.

Pro Sacra Theologia legenda tres antemeridianas horas assignamus, antiquis innitentes consuetudinibus: 1^{am} Ordinario. 2^{am} Doctoribus, qui per ordinem legere consueverunt. 3^{tiam} Sententariis, qui legunt alternatim. Quatuor vero pomeridianas deputamus pro Baccalaureis. Initium legendi facient commutatione aestiva a festo S. Marci, ad Quartuale Sae. Crucis. Commutatione vero hyemali a festo S. Lucae ad Dominicam Laetare, si prolixum fuerit intervallum, si autem breve, ad Dominicam Judica. [s. 398]

Cum sint multae vacationes, legibus et consuetudine in Universitate introductae, quibus omnes omnium Facultatum Professores fruunt ad reficiendas vires et lectiones recolligendas pro commutatione qualibet instante. Vacationes omnes in Facultate Theologica usurpatas, utpote quod finito cursu vacare quis debeat per unum annum absolutis Sententiis, vacare per medium annum in Stat. fol. 20 et 22 de communi consensu S^{ae} Theologiae Doctorum abolemus, praeter eas vacationes, quae communiter absoluntur, videlicet diebus canicularibus, a quatuor temporibus S^{ae} Crucis, ad Festum S. Lucae, et a Dominica Laetare vel Palmarum, ad Festum Sancti Marci.

Nullus Theologorum lectionem suam propter Anniversarium in Ecclesia S. Floriani celebrandum tam antemeridianis quam postmeridianis horis negligat, sub poena in Statutis expressa, in Baccalaureum 8 grossorum pro qualibet lectione neglecta, in Sententiarium quatuor grossorum, et in Baccalaureum duorum grossorum, in Statut. fol. 19. Sed vacantes Anniversaria absoluntur, nimirum duabus horis antemeridianis, et duabus pomeridianis, ii pro praesentibus in anniversario censeantur, secundum Ecclesiae Cathedralis Statuta et consuetudinem.

De promotionibus.

Statuta omnia, quae promotiones concernunt, tam antiqua fol. 21 et seq., quam recentiora fol. 52, a majoribus facta, approbamus, et ut executioni demandentur injungimus, hoc expresse adiicientes, quod idem in omnibus Universitatibus et in omnibus facultatibus servari consuevit, et quod est de substantia: Ut cum aliquis ad gradum baccalaureatus promoveri volet, punctum unum ex 1^{ma} 2^{da}, vel secunda secundae B. Thomae assignetur illi in convocatione, in qua a Praeceptore praesentabitur et petet se promoveri, quod sequenti die teneatur explicare scholastice illud determinando et Decani ac unius Doctoris ad examen deputati argumenta sustinendo. Impensas vero faciat juxta moderationem in Statut. fol. 52 expressam. Dum autem pro gradu Doctoratus Licentiam consequi volet, duo puncta, ex prima et tertia Divi Thomae illi assignentur in convocatione doctorum, quae sequenti die in praesentia Vicecancellarii et omnium Doctorum facultatis explicet, expensas etiam faciat juxta moderationem in Statutis fol. 52 et in Conclusionibus fol. 34.

Nullus ad gradus in Theologia admittatur, qui tempus studii in statutis determinatum non habuerit, lectiones et disputationes et alia muneri proincumbentia non absolverit juxta promissionem suam. In iis enim redemptiones fieri in pecunia

et dispensationes sine causa gravi concedi omnino prohibemus. [s. 399]

Quod si quis negligentem se in lectionibus absolvendis et gradibus obtinendis exhibuerit, alter qui, diligentior fuerit, admittatur. Ille vero nisi intra tres menses negligentiam suam purgaverit, tam ad gradum, quam ad beneficia locum suum perdat.

De personali residentia collegiatorum. 1)

Cum omnes Professores ex intentione fundatorum in suis collegiaturis ad personalem residentiam obligentur sub fide praestiti juramenti, et privatione beneficiorum vel salariorum suorum (in Privileg. fol 2, 4. 22 in Statutis fol. 9 in conclusionibus fol. 48) merito nullum statum aut officium recipere permittantur, quod ipsos impedire aut retardare possit in ipsorum lectionibus faciendis.

Quemadmodum igitur nullus collegiatorum potest esse Rector particularis Scholae, ita extendendo declaramus et declarare statuimus: Nullum collegiatum posse esse Rectorem ecclesiae parochialis, nisi fuerit Jurispatronatus Universitatis, et si quis nunc eam possidet, infra annum illam resignare, aut pro simplici beneficio permutare teneatur, sub amissione suae collegiaturae.

Ordinamus praeterea, ne quis in Italiam aut alias exterarum nationes proficisci audeat, nisi licentia prius ab Episcopo et ab Universitate obtenta, et alio Magistro in locum surrogato, sub poena privationis suae collegiaturae ipso facto incurrenda, in Statut. fol. 31. in Conclusionibus fol. 12. Licentia autem dari non debet nec cum filiis Nobilium, nisi ad summum ad biennium, et non pluribus quam duobus vel tribus ex tota Universitate.

Si quis sine justa et rationabili causa per Decanum approbata, uno die lectionem vel disputationem neglexerit, detrahatur illi ex dismembratione juxta statut. fol. 9. 48. et privilegium Alberti Episcopi fol. 28. nimirum pro una lectione magistrorum grossos 2., pro una lectione Doctoris Theologiae 8., Sententiariorum et Baccalaureorum grossi duo, pro una lectione Jureconsulti ordinarii grossi sex, aliorum grossi quatuor. Poena medici grossi tres. Si vero per duos aut tres menses negligentiam commiserit sine justa et rationabili causa per Rectorem approbata, nil de eo quod in commune distribuitur percipiat, in statuto fol. 45. in Conclus. fol. 9. — Justa autem causa intelligitur, si esset absens in negotiis Regni, Episcopi, Capituli, vel Universitatis aut in propriis, juxta declarationem Alberti Epi. in privilegio 28. 6. [s. 400]

Cum doctorum virorum congregationes debeant esse omnis gravitatis, modestiae, bonique ordinis exemplar, statuimus, ut in quibuscunque convocationibus tam Universitatis quam facultatum aut collegiorum, uno loquente caeteri omnes taceant, et nullus loqui possit, nisi de licentia Rectoris vel alterius convocationi praesidentis. Si quis convocationem turbare, vel in alterius sententiam involare praesumpserit, statim a convocatione expellatur, et secundum delicti modum a similibus convocationibus ad mensem, tres, sex, vel etiam ad annum suspendatur, maneatque voce privatus, qua uti non didicit.

Hactenus fuere Statuta Reformationis Dobrociesciana.

¹⁾ Powyżej z pewnemi odmianami w Statucie Waleszyńskiego: De personali residentia Collegiatorum p. 384.